

165

163

169

159

174

154

214

114

264

064

Ende

Anfang

150

nobiscum, sed dominus Augustinus patronus alterius galēae omnes mulieres in suam galēam collegerat. Nec erat aliquis in nostra galēa, cui ingressus illius vetulac non displiceret, pro eo, quod una sola muliercula inter tot generosos viros commorari deberet, signanter cum satis vaga et curiosa primo aspectu videretur; et de facto sic fuit. Nam pro vero dico, quod VII illae vetulæ, cum quibus prima vice transfretavi, ut habetur fol. 12. 4., quietiores fuerunt et rarius videbantur, quam illa unica anus. Discurrebat enim continue per navem, et curiosissima erat, omnia videre aut audire volens, et se multum odiosam faciebat. Maritus vero ejus videbatur vir honestus, propter quem multi tacuerunt: sed si ipse non fuisset, male illa stetisset. Omniibus erat spina in oculis haec foemina. Igitur cum jam omnes in galēa essent, et dies illuxisset, galēotae ad hoc deputati ornaverunt galēam, suspendentes septem vexilla serica et magna de castello puppis, et de keba dependentia deorsum, et ipsam kebam panno depicto circumducto ornabant. (B) Primum et principale vexillum fuit Dominorum peregrinorum S. sepulchri: et erat album cum rubea cruce de extremitate in extremitatem deductum. Secundum fuit Dominorum Venetorum S. Marci, etiam album cum rubeo leone mare anterioribus, et terram sub posterioribus pedibus habente. Tertium vexillum fuit S. D. Papae Sixti IV., aërei coloris, cum queru virenti, glandes aureas habente, cum duabus apostolicis clavibus. Quartum fuit domini patroni, diversorum colorum et pulchrorum. Quintum fuit mixtum armis Venetorum et patroni: duo alia vexilla erant aequalia alba cum leone nigro. Galēa ornata incoeperunt navem aptare ad recessum, quia ventum bonum habebamus, qui ipsa vexilla in altum evexit, et incepserunt galēoti cum valido clamore anchoras extrahere et sursum in galēam trahere, et antennam in sublime cum involuto accatone erigere; et barcas sursum de mari galēae inducere, quae omnia maximis et durissimis fiunt laboribus et clamoribus, et in fine soluta galēa a tonsillis et explicatis velis ventoque impregnatis et repletis cum ingenti laetitia a terra remoti sumus. Tubicines enim tubis concrepabant ac si jam ingressuri essemus praelium; et galēotae clamabant, et omnes peregrini simul cantabant: In Gottes

